

Atificata, uult hic habere pro sufficienter expressis, quodq; huiusmodi iuramenta & promissiones requisita & præstita, fuerunt impedimentum præfate unionis, propter quæ & illa nulla & irrita esse censentur, statuit, decernit, atq; declarat præfata omnia iuramenta & promissiones ac omnia & singula inde secuta, fuisse & esse cassa, irrita & nulla, nulliusq; efficaciam, roboris uel momenti. Et nihilominus ad cautelam quatenus de facto processerunt, ea relaxat & cassat, irritat ac reuocat, declaratans præfatos (ut præmittitur) iurantes & promittentes, ad obseruantiam prædictorum minime teneri & obligari. Quo decreto lecto, fuit per dictum dominum præsentem nomine totius synodi responsum, per uerbum placet. Et de post præfatus frater Ludouicus legit, ut sequitur.

¶ **S**chedula subtractionis obedientiæ confirmationis, per unum de ambasiatoribus regis Castellæ lecta.

¶ Nos Didacus & c. ambasiatores & procuratores præfati, nomine procuratorio quo supra, confirmamus, & etiam approbamus subtractionem obedientiæ dudum factam in Perpignano domino papæ Benedicto decimotertio per felicis memoriæ dominum Ferdinandum Aragonum & Sicilia regem, nomine serenissimi regis Castellæ & Legionis domini nostri, & per suas literas, sicut in eisdem latius continetur, etiam ex superabundanti cautela eam nomine quo supra de nouo facimus, sicut in dictis literis continetur, & alio meliori & firmiori modo quo fieri potest & debet, de quo offerimus literas præfati domini regis & matris in ualida & expediendi forma duros. Deinde dominus Petrus de Grado, unus etiam de ambasiatoribus regis Castellæ & Legionis prædicti, quandam schedulam subtractionis obedientiæ per præfatum regem dicto Benedicto in Castella factam, in uulgari Castellano scriptam, publice legit. Et quia à multis non intelligebatur, præsentibus igitur non est inserta. Deinde frater Ludouicus præfatus solenniter fecit collationem, & facta collatione, pro complemento huius sessionis reuerendissimus pater dominus Ioannes patriarcha Antiochenus missam de spiritus sancto celebrabit.

SESSIO TRIGESIMASEXTA.

A NNO à natiuitate domini millesimo quadringentesimo decimo septimo, die uero iouis uigesima secunda mensis Iulij, fuit celebrata sessio generalis in maiori ecclesia Constantiensis. Pro cuius introductione reuerendissimus pater episcopus Atrebatensis missam de sancto spiritu celebrabit, præfatusq; in eadem sessione dominus reuerendissimus episcopus Ostiensis sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalis & uicecancellarius; & lectis letanjarum alijq; deuotis orationibus solitis, dominus Antonius episcopus Concordiensis legit quandam citationem contra Petrum de Luna factam, ad audiendum se priuari & sententiam ferri, cuius tenor sequitur.

Sacro sancta generalis synodus Constantiensis uenerabilibus fratribus Henrico Feltrensi, Stephano Dolensi, Ioanni Pacensi, Iacobo Placentino & Patricio Carthaginensi episcopis salutem & omnipotentis dei benedictionem. Frustra iudicium cognoscendo geritur, nisi quod cognitum est, iudiciali calculo terminetur. Cum itaque eadem sancta synodus de meritis causæ inquisitionis pendens coram eadem sancta synodo contra Petrum de Luna, à quibusdam Benedictum decimum tertium nuncupatum, plene cognouerit, & in eadem causa ad omnes actus & terminos requisitos, rite & canonicè processerit, decernit & mandat eadem sancta synodus, eundem Petrum de Luna Benedictum decimum tertium (ut præmittitur) nuncupatum, citari publice in ualuis ecclesiæ Constantien. alta & intelligibili uoce dñi in eadē ecclesia diuina celebratur officia, & cum affixione præsentium literarum eisdem ualuis, cū de presenti audierit literarum contradictarum minime teneatur, atq; citat peremptorie & uno dicto peremptorio pro oibus, ad diem lunæ XXVI, huius mensis Iulij ad comparandum in ecclesia Constantien.

al. celebrabitur